

*IN SACRA MATERIA*  
*SPECIMEN*

**HISTORIÆ LITTERARIÆ  
FENNICÆ,**

*CUJUS*

**PARTEM PRIMAM**

*Conf. Ampl. Facult. Philos. in Reg. Acad. Aboënsi,*

*publice ventilandam fistunt collegi*

**PETRUS JOH. ALOPÆUS,**

*Pbil. Mag.*

*Et*

**PAULUS JOHANNES HEINTZIUS,**  
*Wiburgenses,*

*In Audit. Maj. die IV. Dec. A. MDCCXCIII.*

*Horis ante meridiem solitis.*

---

**ABOÆ, Typis FRENCKELLIANIS.**

IN SACRAM REGIAM MAJESTATEM

SPECTATÆ FIDEI VIRO,

*Theologicæ ad Regium Gymnasium Borgoënsse Lectori,*

ADMODUM REVERENDO & PRÆCLARISSIMO  
DOMINO

*Mag. MAGNO JACOBO ALOPAEO,*

Patri Indulgentissimo,

Pagellas hasce pio animo sacratas esse voluit, de-  
buit,

Patris Optimi

*filius obsequitissimus*

*PETRUS JOHANNES ALOPAEUS.*



Quemadmodum Historiæ multis nominibus commendabile studium, magna cum sollertia atque eritices viu diligentî adhibito, tractare cœperunt recentiorum in primis temporum eruditî; sic Fenniæ quoque viri doctissimi, laudabili æmulationis zelo accessi. ad illustrandam præcipue Historiam Patriæ, tenebris spisis hucusque involutam, animum sedulo appulerunt. Sed defectus Scriptorum Historicorum antiquioris ævi, bella frequentia nisque conjunctæ vastationes, quas passa est Fennia nostra, varii denique alii casus infelices effecerunt, ut Historia Fenniæ antiquior longe majori, quam plerarumque ceterarum nationum Europæarum, obscuritate laboret. Cum enim alii Europæ populi a multis inde fæculis suos habuerunt scriptores, qui si non semper Historias considerunt pragmaticas numerisve omnibus absolutas, sive tamen temporis res gestas præcipuas litteris consignarunt, sicque ab oblivione eas vindicarunt; Fenniæ

A

con-

contra omni fere ævo in ejusmodi Historicorum penuria fuerunt. Facile quidem excusantur majores nostri antiquissimi, utpote a quibus, quamdiu pagani adhuc essent, neque artis scribendi haberent peritiam, ejusmodi conatus exspectari nequiverunt; sed postquam, Religione Christiana a Fennis recepta, litterarum quoque usus iis simul innotuit, adeo tamen parce Patriæ suæ Historiam curarunt, ut ne nomen quidem exstet ullius Historiæ Fennicæ scriptoris, qui sub diuina Religionis Romano-Catholicæ in Fennia dominatione, vixerit. Immo ab eo tempore quo Reformatio Religionis, indeque in patria quoque nostra secutus felicior ejus status, lætiorem litterarum quoque omnium faciem polliceretur, pauciores tamen majorum nostrorum fuerunt, qui sparsas monumentorum reliquias colligere, aut ea quæ Historiæ Patriæ illustrandæ inservirent, litteris mandare instituerent. Sed ea etiam quæ collecta tamen fuerunt, variis casis iniqui nobis eripuerunt; quo obscurior patriæ status pristinus atque fere incognitus, sensim evasit. In quibus primo quidem loco nominandum erit incendium istud ferale, quo arx Episcopalis *Kuſtö*, tempore Episcopi Aboënsis **CONRADI BITZE** funditus fuit deleta, atque insimul Capituli Archivum una cum omnibus Templi Cathedralis documentis in sumum & cinerem versa fuerunt (a). Quod vero unicum non est a no-

(a) Cfr. JUUSTEN *Cbranic. Episcoporum Finlandensium* Ed. Cel. Prof. PÖRTHAN p. 26. Minus accurate hoc incen-

bis deplorandum hujusmodi infortunium. Namque ipsa urbs Aboënsis, in qua utpote urbium Fennicæ præcipua, plurima pars collectaneorum litterariorum quæri deberet, adeo multis incendiis est vastata (b), ut spes antiquiorum monumentorum collectiones majoris molis superstites adhuc reperiendi, cuivis in principio conquisionis initio mox omnis evanescat. Præterea collectaneorum ad res Fennicas pertinentium jactura memorabilis accidit tempore Episcopi Aboënsis JOHANNIS OLAVI: cum, uti refert JUUSTEN (*Chronic. Episc. Finlandens.* p. 31.), Anno 1509 (c), exercitus Regis Danorum JOHANNIS I. Aboam ex improviso occuparet, totamque urbem hostiliter diriperet, Ecclesiam Cathedralem multis pretiosis rebus & crenodiis quam plurimis spoliando, & quod hic præ-

A 2 cipue

dium A. 1459 contigisse, (nisi vitium sit Typographicum), in JUSLENII *Aboa vetere & nova in Praefatione* dicitur. Etenim pars quidem arcis circ. A. 1429 fuit combusta, sed præcipuum ac nocentissimum ejus incendium incidit in tempora Episc. CONRADI BITZE. Cfr. JUUSTEN l. c. p. 21, 26. RHYZELIUS (*Sviogotb. munit.* p. 116) Annum 1470 nominat,

(b) Quot incendia ad Annum usque 1700 subierit urbs Aboëa, docet JUSLENIUS in *Aboa veteri & nova* p. 42.

(c) Hunc verum esse hujus vastationis annum, neque anno demum sequenti hoc accidisse, ut JUSLENIUS l. c. p. 38 putat, JUUSTENI auctoritate nixi, afflere non dubitamus.

cipue nominandum, *libros meliores* auferrent Dani; qua clade funesta, magnam quoque partem conquiſitorum hinc inde litterariorum monumentorum res patrias illustrantium perijſſe, dubio caret. Anno inſuper 1521 (d) urbs Aboënsis crudeliter direpta est a *Severino Norby* (e). His jam allatis accedit, quod variae hostium, præcipue Russorum crudeles in Fennia populationes, non modo multa quæ a privatis hominibus in notitiam posterorum annotata fortassis esſent, nobis ſuſtulerint, ſed varias etiam collectiones veterum documentorum publicas diſcipaverint ac deſtruixerint. Etenim antiquissimis jam temporib⁹, quorum quidem ulla ad nos pervenit notitia, Russos, barbaram tum & incultam gentem, coniunctos cum aliis vicinis populis (Carelijs, Estonibus &c.), ſæpi expeditiones militares, quæ piraticæ haud raro fuerunt, in Finlandiam, expilationis prædæque capiendæ gratia fuſcepiffe, relatum legimus. Atque licet propiores iis Fenniæ regiones violentiæ eorum, maxime omnium expositæ ſine dubio fuerint; tamen intimas quoque patriæ noſtræ partes interdum infestarunt, ubique vestigia ſua fangeinis ac stragis plena relinquentes. Antiquissima, cujus memoria ad noſtra uſque

---

(d) Non A. 1522, ut JUSLENIUS lib. & pag. eit. habet.  
Nondum edito *Cronico Juſteniano*, hujusmodi diſcreti  
lius cavere licuit errores.

(e) JUSTEM l. e. p. 33,

que tempora propagata est, irruptio eorum hostilis, incidunt in Annum post Ch. n. 1198, quo jam anno incendio devastasse Aboam dieuntur (f). Tempore Episcopi Aboënsis MAGNI I. (circa finem Sæculi XIII:ti aut initium XIV:ti) Russos crudeliter perpopulatos fuisse Tavastiam, ex litteris discimus PETRI, Archi-Episcopi Upsaliensis, Anno 1335 datis, & famosam illam de *tribus* aut *quatuor pellibus ferinis* Decimæ loco solvendis litem, inter Episcopos Aboënses & Tavastos diu agitatam, attingentibus (g). Neque multo post, scil. A. 1318 prædationes suas Aboam usque extenderunt; quam urbem Templumque Cathedrale una cum arce *Kuſtö* recens condita incendio vastarunt, atque Clenodia & privilegia Ecclesiæ Aboënsis, una cum plurimis aliis monumentis, flammis consumenda dederunt (h). Tempore quoque Episcopi BERONIS Balk ab eisdem aliisque piratis (*Vitalianis* forsitan?), Ecclesia Aboënsis maxima passa est damna (i). Neque dubitandum est, quin saepius præterea Russi patriam nostram hostiliter invaserint; quamvis non nisi

A 3 gene-

(f) JUUSTEN l. c. p. 12.

(g) Hæ Litteræ, una cum aliis, idem suis suffragijs confirmantibus, exhibentur legendæ in Annotationibus Cel. FORTHAN ad JUUSTEN l. c. p. 212. not. (20).

(h) JUUSTEN l. c. p. 15, atque Annotationes Cel. FORTHAN p. 214. not. (23). & 217. not. (91).

(i) JUUSTEN l. c. p. 17. cfr. Ibid. p. 409.

generaliorum hujusmodi cladium ad nos pervenerit cognitio. Sic irruptiones eorum tempore infelicis i-stius unionis Calmariensis, Danis instigantibus factas, plures monumenta vetera commemorant. Atque etiam si interior Fenniae pars, post reformatam Ecclesiastiam ab hostilibus eorum conatibus multas per ætates fuit secura; tamen temporibus etiam Regum GUSTAVI I. JOHANNIS III. & CAROLI X. multæ Fenniae regiones crudeliter ab his fuerunt devastatae. Sed venimus iam ad ea tempora commemoranda, quorum tristis memoria saepe apud populares nostros adhuc revocatur; neque enim gravia, quibus tunc temporis affligebatur patria, mala hucusque plane sanari potuerunt. Scilicet ob diuturnam in patria dominationem Russorum hostilem, & alio respectu & eam ob caussam initium hujus ad finem jam currentis Sæculi Fennis fuit damnosissimum, quod plurima pars veterum, ad illa usque tempora superstitionis, documentorum adeo periit, ut, quod mirari quis forsan fatrum Fenniae ignarus posset, haud magna supersit notitia rerum Fennicarum etiam proxime superiori Sæculo gestarum (k). Quibus malis internas turbas temporibus Regum MAGNI II. (filiique sui ERICI), AL-

BER-

---

(k) cfr. Er. Renström *Historia Sveagothica deficiens & restaurata*, Diss. præl. SCARIN, p. 59. Quantam tamen fidem allatum ibi hac de re testimonium, e libro, qui der fluge Hofmeister inscribitur, desumptum, mereatur, alii judicent.

BERTI &c, nec non SIGISMUNDO ac Patruo suo CAROLO de folio contendentibus excitatas, adjungere merito debemus. Quæ sicut de Historia Fennica generatim, ita etiam de Historia nostra litteraria specie-  
lius eadem valent. Quare si patriæ historiam majoris nostri negligentius curaverint, nostris temporibus tanto diligentius studendum est, ut in ea explicanda acris diligentia adhibeatur, in primisque de colligen-  
dis monumentorum veterum reliquiis, quæ ad illustra-  
tionem antiquioris Fenniæ conditionis apta adhuc su-  
persint, populares nostri se follicitos præbeant. Unde in variis editis opusculis & collectionibus haud pau-  
ca commemorata inveniuntur, quæ in Historia quo-  
que Fenniæ litteraria ingentem lucem diffundunt. Ve-  
rum tamen cum Historiam Fenniæ litterariam ex in-  
stituto ad hoc usque tempus considerit nemo; nos  
specimen Academicum edituri, hanc præ ceteris ma-  
teriem elegimus, ad quam ornandam, symbolam con-  
ferre studeremus, non virium nostrarum, sed præ-  
stantiae argumenti respectum habentes, maximum la-  
boris præmium reportaturi, si ad ubiorem rerum  
patriæ nobis carissimæ cognitionem diffundendam  
quodammodo conferre possemus. Neque igitur L. B.  
novi quid perfective heic exspectet; quin e contrario  
multos opusculi nævos juvenili ætati speramus con-  
donatum iri. Nec nisi primas quasi lineas ducere no-  
bis proposuimus, relinquentes aliis, majore dexteri-  
tate pleniorique penu litteraria præditis, ut plene præ-  
clarum hoc exsequantur argumentum.

§. II.

Hodiernos Fenniae incolas ab antiquissimis retro temporibus hancce regionem non habitasse, sed aliquot, uti videtur, post Christum natum saeculis, ex vetustiori sua sede inter Caspium & Album Balticumque mare sita, huc immigrasse, Lapponesque, antiquissimos Finlandiae incolas, pedetentim depulisse, multis adeo argumentis jam est evictum, ut extra omnem fere dubitationis aleam positum videatur (a). Quando in hanc terram commigrarunt Fenni nostri, e primo jam egressi erant feritatis statu, quoniam rei non solum pecuariæ operam dederunt, sed agriculturæ etiam suo modo diligenter studuerunt; adeo ut in eos quadrare non possint, quæ de Lapponibus forsitan, qui proprio sibi nomine Fenni olim nuncupabantur, scribit TACITUS (b): *Fennis mira feritas, fœda paupertas, non arma, non equi, non penates, viatori herba, vestiti pelles, cubile humus, sola in sagittis spes, quas inopia ferri osibus asperant. Idemque venatus viros pariter ac feminas alit. Pasim enim comitantur, partemque prædæ petunt. Nec aliud infantibus ferarum imbriumque suffugium, quam ut in aliquo ramorum nexu con-*  
tegan-

(a) cfr. Praecl. FR. MICH. FRANTZÉN Diff. *de Bircarlis*, Praef. Cel. PQRTHAN ed. p. 1 sqq.

(b) *de moribus Germanorum* Cap. XLVI. Alii quidem loco *Fennorum* legunt *Femios*; sed qui hi fuerint, dicere nemo potest.

tegantur. Huc redeunt juvenes, hoc senum receptaculum.  
Id beatius arbitrantur, quam ingemere agris, illaborare  
domibus, suas alienasque fortunas spe metuque versare.  
Quamvis autem majores nostros adeo ferrea ac mi-  
serabilis vitæ sors non premeret; a populo tamen litt-  
erarum ignaro, nullam notitiam artium c), multo mi-  
nus scientiarum exquisitiorem poscas. Atqui ut o-  
mnes fere antiqui populi, antequam artis scribendi  
notitiam sibi compararent, Poësin tamen, Musicam  
que cum ea conjunctam, excoluerunt; ita sua Fenni  
quoque nostri semper habuerunt carmina, quæ suo  
idiomate Runicæ adpellavere (d), neque Musicam  
variis instrumentis adhibitis, tractare neglexerunt (e);  
quæ tamen nec fabricam valde artificiosam prodidis-  
se, nec teretibus nostri ævi Musicorum auribus pla-  
cuisse, facile intelligitur. Quo in statu agrestiori ru-  
diorique vixerunt, donec Rex Svecorum ERICUS IX,  
cognomine Sandus, expeditionem bellicam circiter A.  
1156 vel 1157 in Finlandiam eum in finem fusciperet,  
ut Fennos non modo Imperio suo subjiceret, sed ad

## B

## Reli-

(c) Instrumenta tamen, que ad agros colendos necessaria  
iis fuere, confidere sine omni dubio potuerunt.

(d) An vocabulum Fennicum Runicæ (Plur. Runicæ) ejusdem  
ac Svecicum Runa (Plur. Runor) sit originis, non qui-  
dem constat; at prorsus improbabile haud videtur.

(e) Nomina ejusmodi instrumentorum Fennis vernacula,  
nec a vicinis gentibus mutuata, hoc demonstrant: e. g.  
Randeles, nablium, Torni &c.

Religionem etiam Christianam more illorum temporum, ferro atque armis converteret, qua expeditione sine dubio aliqua Fenniae pars (Fennia, uti videntur, proprie sic dicta, & Nylandia), ditioni Svecanæ adjecta fuit.. At in primis conditio Fennorū mutabatur, postquam celebris ille ac de Svecia optime meritus BIRGERUS JARL Anno 1249 Tavastiam occupavit, atque THORKILLUS CANUTI Careliam quoque A. 1293 subjugavit.

§. III.

Sub eo temporum tractu, quo Religio Romano-Catholica a majoribus recepta, aut potius iis obtrusa, in tota Fennia principatum tenuit, Eruditionis scientiarumque eadem fere in patria nostra sine dubio facies fuit, ac quæ in Svecia iisdem temporibus obtinuit. Negari quidem nequit, plures in Fennia quoque viros doctos hoc ævo eminuisse, qui præter Religionis Theologiæque suæ cognitionem, variarum scientiarum notitiam sibi comparaverint; attamen litterarum studia floruisse, nemo contenderit: quin potius veram eruditionem penitus defuisse qui existimet, minime eum errare arbitramur. Monachi enim ac sacerdotes, qui soli iis temporibus operam litteris dederunt, superstitionis contagione vehementer fuere inquinati; ubi vero superstitionis regnat, ibi litteræ semper frigent. Quæ si de ceteris Europæ terris generatim loquendo merito pronuntiantur (a), longe certe majo-

jori jure de Fennia nostra valent. Tempia, quorum magna pars adhuc supereft b), exstruxere majores nostri, quo Deum missis canendis colerent, superstitionisque fascino plebs devincta teneretur; sed de institutionis negotio promovendo, ignorantiae tenebris dissipandis, scientiarumve utilium cognitione civibus suggestenda, pauci cogitarunt. Contra omni studio in id incubuerunt Romani Pontifices eorumque adseclæ, ut ignorantiae, hujusque filiæ, superstitionis vires roburque conservarent; quarum florem, egregium Hierarchiæ Romanæ præbuisse præsidium, Historia satis superque testatur. Attamen, iis in primis in litteris, quæ futuro Ecclesiæ Ministro inservirent, omnis in juventute instituenda cura non negligebatur. Sic non

B 2

fo-

- (a) De Litteratura medii, quod vocant, ævi, alios ut tecamus, egregie more suo disputat, mortalibus rebus nuper erectus, Celeberrimus nostro tempore Historiographus, WILH. ROBERTSON in opere præclaro: *the History of the Reign of the Emperor Charles V.* Volumine Primo; quem fecutus est Cel. HALLENBERG, in libro quem inscripsit: *Nya Allmänna Historien ifrån början af Sextonde Århundradet* (Tom. I. Prolegom.), quod opus interruptum fuisse, merito dolemus.
- (b) e. g. Templum S. Mariæ prope Aboam, quod antiquissimum in Finlandia putatur, Cathedrale Aboënsis (circ. A. 1300 absolutum), Cathedrale Borgoënsis (initio Sæc. XV exstructum), paroeciae Hattula, antiquissimum in Tavastia, paroeciarum Nousis, Ulfby, Wirmo, Wåno, Hauho &c.

solum illis in *Monaferijs*, præcipue ordinis Dominicani, quæ in Fennia exstructa fuere, juventutem quoque litteris imbutam fuisse, sed alias etiam *Scholas* nonnullas fuisse institutas, scimus. Quod ad *Monaferia* adtinet, jam a primis vitæ solitariæ initiis, Monachis id incumbebat negotii, ut non solum Deum precibus jejunisque assiduis colerent, sed juventutem quoque instituerent. Atque tantum absuit, ut hic laudabilis mos obscuris istis medii ævi temporibus penitus evanesceret, ut potius omnis generis institutionem sibi foliis quidam Monachorum ordines arrogarent. Itaque in Claustris nostræ quoque regionis Monachos hoc idem curæ sibi habuisse, non est quod dubitemus. Inter quæ Monaferia in primis memorabile est Monasterium S. Olavi, in gratiam Dominicanorum Aboæ exstructum. Aliud præterea Franciscanorum Monasterium hac in urbe constitutum fuisse, narrant rerum nostrarum scriptores; qui etiam aliorum passim in Finlandia conditorum memorant e.g. Coenobii Franciscanorum Raumenis, Brigittini Nådendahlenis, duorum Wiburgi institutorum, quorum alterum Dominicanorum, alterum Franciscanorum fuit, &c. Sed præter ipsa Monaferia, tempore Papistico in Fennia Scholæ etiam quædam viguerunt, juventutis institutioni dicatae; quæ licet a Monaferiis diversas constituerent societates, cum iis tamen multis modis fuerunt conjunctæ. Trium hujusmodi Scholarum Fennicarum, Sæculis Reformationem antegres-

egressis conditarum, nobis superest notitia: Scholæ  
sc. Aboënsis, Raumenis & Wiburgensis. Jam initio Sæc.  
XIV:ti Aboæ Scholam floruisse, ex Testamento colligimus  
Henrici Tempill A. 1350 dato, quod e Registro  
Ecclesiæ Aboënsis (Abo Domfyrkas Swartbok) de-  
scriptum legitur in Annotationibus Cel. Porthan ad  
JUUSTEN Chron. Episc. Finl. p. 281. not. (188), ubi se  
antiquum Scolasticum Aboensem (h. e. antea Scholæ  
Aboënsis Præfectum s. Rectorem) ipse vocat; quod  
litteræ Birgeri A. 1359 exaratæ, & in eodem Regi-  
stro asservatae confirmant, qui *Curatus altaris beati  
Virginis in Abo*, & *Provisor scolarium ibidem* audit.  
(c). Schola quæ Raumœ floruit, Collegii Raumenis  
nomine celebris, & Monasterio Franciscanorum asso-  
ciata, quo tempore initium habuerit, prorsus nesci-  
mus, neque ulla ante medium Sæculi XV:ti ejus ve-  
stigia deprehendimus. Antea vero, nempe initio me-  
morati jam Sæculi, Schola Wiburgensis condita vi-  
detur; certe Monasterium Dominicanorum Wiburgen-  
se, cui hæc Schola adjuncta fuit, centum jam annis  
ante viguit. Præter quas Scholas, in aliis quoque  
Fenniæ urbibus Scholas puerili ætati informandæ sen-  
sim fuisse conditas, verisimile putas, quamvis earum,  
utpote minus celebrium, nulla ad nos pervenerit me-  
moria. Sed de indeole laudeque Scholarum Fennica-  
rum

---

(c) cfr. Annot. Cel. Porthan ad Juusten l. c. pag. 260.  
not. (164).

rum adeo memorabile atque honorificum habemus testimonium in Bulla a Johanne Ulixbonensi, Cardinale, A. 1412 data (d), ut nobis temperare non possumus, quin brevem ejus faciamus mentionem. Ex laudata enim Bulla discimus, & plures Scholas eo jam tempore in Fennia viguisse, & tantæ eas fuisse celebritatis, ut non solum ex Dioecesi Aboënsi, verum etiam ex aliis Dioecesibus (ex Svecia?) Scholares illas frequentaverint, & artium trivialium exercitiis insisterint. Ex quo præclaro, ab ipsa Roma profecto, testimonio, sequitur, Scholas Patriæ nostræ sub dominatione Papatus, non modo meliores sunt evi Scho-  
las æquasse, sed multas quoque earum celebritate superasse. Adeoque neque occasio juventuti Patriæ defuit, ea discendi, quæ in primis ad munera Sacerdotalia obtinenda necessaria sibi fuere. Attamen haud pauci juvenes, ea quam in patria accipere poterant, institutione haud contenti, ad exterias deinde oras inter suscepserunt, satis intelligentes, & eruditionis penum, multas terras invisendo auctum iri, & longioris temporis absentia non solum auctoritatem eximiam, sed etiam viam ad magnos honoris gradus longe faciliorem sibi aperiri. Fennos nostros jam initio Sæculi XIV:ti Parisios adiisse, inde colligimus, quod Curatus quidam parœciae Tenala, nomine Conradus circ.

---

(d) cfr. Cel. PORTHAN ad JUUSTEN l. c. p. 427. not. 326.

circ. A. 1337 Magister vocatur; quod indicat illum Parisiis hunc honoris gradum sibi acquisivisse. Decem annis post, inter Canonicos Ecclesiae Aboënsis nominatur *Conradus*, qui adeo magnæ famæ fuit, ut in Universitate Parisiensi fuerit Procurator Nationis Angliæ (ad quam Sveci, etiam ac reliqui Septentrionis filii, litteris ibi studentes pertinebant) (e). Plurimi quoque Episcoporum Finlandiae veterum, exteris Academias studiorum gratia, adierunt juvenes, indeque honoribus Magisterialibus ornati, domum redierunt. Sic narratum legimus de **JOHANNE PETRI**, natione Westmanno, eum & domi & peregre litterarum studio se dedisse, antequam sedi Episcopali apud nos ad moveretur; qui ex vivis abiit A. 1370. **BERO BALK**, itidem Aboënsis Episcopus, qui mortuus est A. 1412, Magister Pragæ aut Parisiis fuerat renuntiatus; & celebris ille **MAGNUS OLAVI Tavaast**, qui tandem pedum Episcopale Aboënsse gesit, & vitam cum morte A. 1452 commutavit, Magistri nomen in Pragensi Academia sibi adquisivit. Hujus sororis filius atque in munus Episcopale successor **OLAVUS MAGNI** (f), qui

(e) Cel. FORTHAN ad JUUSTEN l. c. p. 330. not. (270).

(f) Episcopum hunc, *Olavum Magni*, non, ut vulgo, *Olavum Henrici* nuncupari debere, pro singulari, qua nos amplexus est, benevolentia nos docuit Cel. Prof. FORTHAN, hoc assertum liquido demonstratus in sequentibus, a se edendis, Annotationum ad *Chronicon Jussteinum* Particulis.

diem obiit supremum A. 1460, non solum Magister Parisiis creatus, sed eo quoque honore propter eruditionem suam ibi est dignus habitus, ut Lector primus Ethicorum & Theologiae Baccalaureus, dein Rector quoque Universitatis constitueretur. **CONRADUS BITZE, MAGNUS NICOLAI, LAURENTIUS MICHAELIS cognomine Suripā, & JOHANNES OLAVI,** qui omnes Episcopi Aböenses fuere, ad peregrinas Academias studia sua non sine successu coluerunt. Atque in primis Sæculo XV:to multos fuisse, qui exteras Universitates (Parisensem & Pragensem) peterent, magnus ille Magistrorum qui inter Praelatos Ecclesiæ Fennicæ conspicitur hoc tempore numerus clare demonstrat; qua de re Lectoribus consulere licet Cel. PORTHAN Annott. ad JUUSTEN l. c. p: 476. Et si supponamus, id quod valde nobis videtur verisimile, non solum non omnium ex gente Fennica Magistrorum ad nostram pervenire potuisse notitiam, sed etiam multo majorem eorum fuisse numerum, qui peregrinas licet litterarum sedes petentes, ejus tamen nec eruditionis essent nec opulentiae, ut honores Academicos sibi acquirere valerent; sequitur ut Fennia nostra iis jam temporibus viris pro temporum ratione eruditis haud caruerit. Quæ tamen omnia eum in finem non attulimus, ut litteras veramque eruditionem apud nos vere floruisse inde colligeremus, sed quo patriam nostram multis aliis Europæ partibus etiam tunc temporis palmam non concessisse, ostendimus

sum iremus. Sicut vero discipulos hos doctoribus suis similes fuisse jure existimamus; sic melior sane apud nos quam alibi litteraturæ hoc ævo non fuit facies. Ad cæcam fidem Religioni, nequissimis depravatæ commentis tribuendam homines adducebantur; scientiarum Philosophicarum cursus brevissimis, nec doctrinis admodum frugiferis, vulgo absolvebatur; & Theologia & Philosophia nugis quisquiliisque Scholasticorum fuerunt refertæ; scrutatio naturæ plane negliebatur: atque cum insuper libertas philosophandi deesset, non potuit non accidere, ut nec sanæ philosophiæ studium vigere, nec ceteræ scientiæ ea, quæ par est, tractari diligentia possent.

## §. IV.

Initio Sæculi XVI. ti clara illa lux, quam reformatione Religionis in Germania auspicanda D. MARTINUS LUTHERUS accedit, lætissimos suos radios brevi post per nostram quoque patriam dispersit. Quam felicem in Religione puriori tradenda operam apud nos inchoavit Mag. PETRUS SERKILAX, ac prospero cum successu continuarunt viri egregii, qui impensis Episcopi MARTINI SKYTTE, ad exteris Universitates, in primis Wittebergensem, proficisciabantur, indeque saniorem cælestes doctrinas tradendi rationem domum reportarunt (a). Neque, quod pri-

## C

mo

---

(a) Hi numero octo fuerunt, scilicet: MICHAËL AGRICOLA & PAULUS JUUSTEN, qui tandem dignitati Episcopali A-

\* \* 18 \*

mo loco nominandum erat, Rex de Svecia immortali-  
ter meritus GUSTAVUS I. qui ab superstitionibus  
Papisticis Ecclesiam Svecanam liberavit, Fenniam  
minore complexus est favore paterno. Ab hoc igit-  
ur tempore nova eaque lætior incipiebat periodus,  
a qua initia præcipua crescentis magis magisque e-  
ruditionis in patria florisque litterarum sunt nume-  
randa. Hic enim gloriofissimæ memoriae Rex, qui  
multiplici adeo ratione posterorum gratiam & vene-  
rationem meretur, de eo quoque vehementer fuit sol-  
licitus, ut succrescenti juventuti non deesset occasio  
utilium scientiarum notitiam sibi comparandi. Quam  
curam ad Fenniam extendens, Scholæ etiam Aboënsi  
multa favoris documenta dedit. Quæ Schola, Ca-  
thedralis nomine insignita (b), per centum postea an-  
nos

---

boënsi admoti sunt, CANUTUS JOHANNIS & ERICUS HER-  
KEPEUS, qui post alia officia administrata Antislites Wi-  
burgensis Diœceseos fuerunt constituti, JACOBUS TEIT-  
TUS, de quo præterea nihil certi scimus, MARTINUS  
TEITTUS, cui Principum Reg. juniorum educandorum cu-  
ra fuit tradita, SIMON denique HENRICI Wiburgius &  
THOMAS FRANCISCI, quibus tribus postremis longa vita  
frui concessum non fuit usura. Cfr. JUUSTEN l. c. pag.  
36, 37.

(b) Schola hæc Cathedralis in quatuor classes fuit divisa,  
nempe in Rheticam, Grammaticam, Tonatisticam &  
Alphabeticam sive Elementarem. Juventutis magistri sex  
fuere, cfr. Cel. BILMARK *Historia Reg. Academiæ Aboënsi* p. 6.

nes præcipuum Fenniae fuit Lyceum, neque eruditione docendique dexteritate claris Doctoribus caruit, in quibus præcipue nominandi nobis veniunt MICHAEL AGRICOLA (c), & PAULUS JUUSTEN (d), quorum uterque munere tandem Episcopali ornatus fuit.

C 2

At-

(c) Hic beatæ memorie vir in edendis libris, Ecclesiæ Fennicæ usui inservientibus, sedulam posuit operam. Exemplo esse possunt: Liber precum Fennicus, auctore AGRICOLA, impreff. Holmiæ 1544, 8:o. Novum Testamentum Fennice, ab eo translatum, Ibid. 1548, 4:o. Rituale Ecclesiasticum Fennicum (*Rästifirja*) interprete AGRICOLA editum Ibidem 1549. Psalterium Davidis a PAULO JUUSTEN in Fennicam linguam translatum, & curante AGRICOLA editum Ibid. Anno 1551. De quibus & eeteris libris Ecclesiasticis Fennicis in primis egregie, pro more suo, commentatus est Reverendiss. Archi-Ep. MENNANDER in Oratione in Synodali Conventu Aboæ 1775 habita, sed adhuc typis non vulgata.

(d) PAULUS JUUSTEN auctor est Chronicæ Episcoporum Finlandensium, quod primus vulgavit III. NETTELBLADT (in *Schwedische Bibliothek, Erstes Stück*, N:o 2, pag. 62-90), jam vero iterum cum Annotationibus uberrimis editum a Cel. Prof. PORTHAN, cuius operis XXX Particulae hucusque prodierunt. Præterea doctus hic diligensque Episcopus (JUUSTEN) sub sua in Russia captivitate, *Analysis Evangeliorum Dominicalium totius anni* concinnavit, cuius libri Manuscriptum servatur in Biblioteca Academica. Narrationem quoque ejus de legatione sua Russica tribus Dissertationibus a. 1775 typis excudi curavit Cel. PORTHAN.

Atque horum quidem aliorumque Doctorum (e) eruditio ad augendum Scholarium numerum non parum contulit, quem magnum satis fuisse multa suadent argumenta, licet JUSTANDRO (f) haud facile credamus, qui ultra mille Scholarium post tempora Monachorum in Schola Aboënsi litteris studuisse perhibet (g).

Alte-

(e) Quorum in numero fuit e. g. Mag. MARCUS HENRICI HELSINGIUS, qui sub finem Sæc. XVI:ti & initio Sæc. XVII:mi Rector Scholæ fuit, cuius supereft *Compendium Astronomicum*, Lib. I. continens Doctrinam Sphericam, quod opusculum una cum *Analyti Logica*, cum præcipuis *Locorum doctrinæ observationibus*, *Epiſtolæ Pauli ad Titum*, ab eodem HELSINGIO litteris consignata, servatur Manuscriptum in Bibliotheca Academica.

(f) *Orat. de quibusdam Antiquitatibus Abogieis p. 7.*

(g) De hac Schola cfr. Historiam Ejus in Novellis Aboënsibus pro Anno 1772 p. 60 seqq. exhibitam. In Catalogo, qui ibi p. 89 seqq legitur, Rectorum Scholæ prætermisi sunt nonnulli, e. g. M. ERICUS HERKEPIUS, alumnorum MARTINI SKYtte supra commemoratorum unus, qui postquam circiter duodecim annos Scholam rexerat, A. 1568 Episcopalem Wiburgensem Cathedram ascen-dit (cfr. de hoc Novella Aboënses A. 1795 N:o 1.); & M. GREGORIUS MARTINI TEITTUS (de quo tamen cfr. Nov. citat. A. 1772 p. 125 sq), illius forsitan MARTINI TEITTI, qui inter Alumnos Skyttianos recensetur, filius? quem Rectoris munus A. 1595 gestisse & inter Præsidis Affessores in Concilio Upsaliensi locum obtinuisse, A. vero 1601 Pastorem fuisse Ecclesie Aboënsis, & circ. A. 1615 e vivis excesisse, scimus. cfr. Cel. PORTHAN *Historia*

Alterā in patria Schola, Sæculo XVI:to commemorabilis, est Wiburgensis, quæ in ea urbe a tempore inde Reformationis donec in Gymnasium commutatur, floruit. (h). In aliis etiam Fenniæ urbibus nonnullis Scholas fuisse institutas, in quibus juventus initiis litterarum erudiebatur, a vero non abhorret; quamvis earum exiguam admodum aut nullam habeamus notitiam. Neque vero fervor ille, exteris visitandi Academias, abrogata Pontificis Romani in religionem Fennorum potestate, evanuit; sed quamvis Parisiensem Universitatem adire desierint nostrates, ad Academias tamen Germanicas, præ ceteris Wittebergensem, utpote Lutheranæ doctrinæ præcipuam tunc temporis sedem, eo cupidius se contulerunt. In quibus hoc tempore eminuit Doctor JOHANNES RAUMANNUS, Prof. Prim. Upsaliensis, qui, natione Feno, post studia peregre peracta, Marpurgi A. 1604 Theol. Doctor fuit declaratus, sive primus omnium Svecorum, qui post reformationis

C 3

tem-

*Bibliothecæ Reg. Acad. Aboëns. p. 12. not. (g). & pag. 38. not. (m).*

(h) Et hujus Scholæ, & Wiburgensis, Eorgoam postea translati Gymnasiū, uberiorem notitiam suppeditabit Patris mei (Theol. Lectoris ad Reg. Gymnasium Eorgoëns) Mag. MAGN. JAC. ALOPÆI adhuc in MS:to latens Historia Gymnasiū Borgoënsis, quæ cum brevi prælo committenda, longiore Scholæ hujus descriptione jam supersedeo.

tempora vixerunt, hunc honoris gradum attigit. (i).  
Eidem ad exterias proficisciendi oras studio obedire-  
runt Mag. JACOBUS FINNO, Pastor Aboënsis, qui sub  
finem Sæc. XVI:ti vixit; Mag. GABRIEL MELARTO-  
PÆUS, qui Episcopali apud Wiburgenses honore or-  
natus, obiit 1641; & alii. Quibus rebus efficitur, non  
tantum occasionem litterarum discendarum Sæculo  
XVI:to in patria longe fuisse ampliorem, litteraturæ  
que statum laetiorem ac tempore Papistico; verum  
etiam de multis Fennis egregia doctrina præditis æ-  
vum hoc gloriari posse. Neque tamen GUSTAVI I.  
filios, aliis quippe curis distractos, institutionis nego-  
tium pro rei dignitate in Finlandia promovendum,  
maximæ curæ habuisse, hucusque doceri potuit. At  
vero Regem JOHANNEM III omnem Scholæ Aboën-  
sis curam non neglexisse, ex Litteris ERICI HERKE-  
PÆI (Rectoris Scholæ) Latina lingua scriptis, huic-  
que Regi missis perspicitur, quæ adeo memorabilis  
sunt argumenti, ut omnino dignæ sint, quæ typis hoc  
loco exscribantur;

*Illusterrime Princeps & Rex clementissime. Merito in-  
colæ regni istius, qui sana mente reguntur, immortales gra-  
tias Deo optimo maximo agere debent, quod Vestram Ma-  
jestatem ex angustiis liberaverit, & in gradum majestatis  
restituerit. Nisi enim Vestra Majestas sic nobis nunc resti-  
tuta fuisset, & belli præsentis incendium extinxisset, metu-  
endum,*

---

(i) GEZELII Biograph. Lexicon öfver Namnk. och Lärde  
Svenske Män. P. 2. p. 356: sq.

23

endum, ne ruinis & dissipationibus majoribus Respublica Svecica labefactata & tandem eversa periret. Ut igitur Deus hoc malum a nobis avertat, & nos sub obedientia Vestra Majestatis tueantur, precor ut tribuat Vestra Majestati longevam gubernationem & in ea perpetuo felices successis, ut vel sic glorificetur Deus per Vestram Majestatis regni administrationem, & homines pacifice & tranquille sub ea vivant. Deinde Vestram Majestatem per Deum immortalem oratam habeo, ut mibi propitius & clemens Dominus esse velit, ac meam justam querelam, quam ad Vestram Majestatem affero, aqua latice perpendere. Est autem haec: Vestra Majestas ante duodecim aut tredecim annos me in Rectorem Scholæ Aboensis constituit, cui pro mei ingenii mediocritate sic præfueram, ut ecclesia fideles & idoneos adhuc ministros habeat, mei Rectoratus tempore institutos, quamvis malevoli meam qualemcumque diligentiam & existimationem columnis sepe obscurare tentarunt. Neo potro lateat Vestram Majestatem, quod ante biennium cepi tradere tuerenti initia Græcæ linguae, quod studium intellexi non prorsus inane esse in nonnullis auditoribus; malevoli autem metuentes ne aliquid gloriae aut existimationis buiusmodi conatus mibi parerent, statim ceperunt querere occasiones removendi me ab officio Scholæ administrandæ. Itaque hoc currenti anno ex insidiis adorti, ab officio Rectoratus me removerunt, constituto alio quodam neophyto sacerdote in Rectorem, non data mibi alia provisio. Nunc igitur incertis sedibus vagabundus sine officio & beneficio erro. Hanc gratiam pro molestiis quas sustinui in puerorum institutione, toto illo tempore quo Rectoris officio fungebor, reddiderunt. Vehementer & studiose Vestram Majestatem supplex imploro, ut mibi decernat administrationem officii apud Aboenses, nimirum in hunc usum & finem, ut pubi scholastice quæ ibi Musas colit, initia Græcæ linguae discendæ tradam, sicut cepi cum adhuc Rectoris officio

officio fungerer, nec puto piis & eruditis ecclesiæ doctoribus alienum videri a reæta & sana iuuentutis institutione, statim ab ipsa prima aetate, quando iuniores latine disceere incipiunt, simul etiam Graeci sermonis cognitionem paulatim eis instillari. Hæc enim consuetudo in scholis particularibus Germaniæ, ubi respubliæ & ecclesiæ sunt recte instituta, servatur, ut pueri discentes latinam Grammaticam, statim etiam imbuantur in Graeca. Postremo Vestram Majestatem oro, ut redditus quos habemus a Vestræ Maiestatis munificentia habuerem, adaugeat: quia parva illa accidentalia, ut didachtra quæ a Scholasticis Rector sublevare solet, postquam ab officio Rectoris remotus sum, mibi adempta sunt. Deus optimus maximas omnium beneficiorum retributor recompen-sabit Vestræ Maiestati hoc beneficium & reliqua omnia ingentia & eximia erga me beneficia: & precor Deum aeternum, ut Vestræ Maiestas Nestorios vivat in annos, una cum illustrissima principe conjugé, & hæredibus Vestræ Maiestatis quam fælicissime.

Vestræ Maiestati

addictissimus

ERICUS  
HERCHEPE.

Cfr. præterea de his Litteris Novellæ Aboënses hujus anni N:o 1.